



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Sectio Qvarta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

lium perlustrario, & indefessus ardor discendi? Non plus profectò, quàm aut ad explendam famem fugacia poma Tantalì, aut ad restinguendam sitim pertusæ Danaidum urnæ. Sanè cùm omnis hominum labor speratæ quietis causâ suscipiatur, & omnis sollicitudo tranquillitatem spectet, & omnis huius vitæ iactatio beatitatem velut portum intueatur; quorsum illa tam improba tamque peruegil & irrita semper animorum contentio? quorsum illa tam anxia secretorum inuestigatio, quæ nullum vnquam sit exitum habitura; & vt maximè, quod intendit, assequatur, nullum idcirco gradum ad beatitatem sis promoturus, quæ non in profanâ speculatione, sed virtutum actione; non in scientiâ, sed rectè factorum conscientiâ consistit. Itaque qui scientiæ curiositate pascuntur, quid aliud quàm speciosâ vanitate pascuntur? qui cùm inter astra veluti caelestium secretorum conscij deambulauerunt, nondum intelligunt, quid valeat excelsus animus, ac supra mortalium curas & cogitationes erectus: & cùm ad rimanda naturæ secreta infra terram se demiserint, à verâ submissione animi adhuc infinito dissident interuallo. Melior est profectò (ait Thomas Campensis) humilis rusticus qui Deo seruit, quàm superbus Philosophus, qui, se neglecto, cursum cæli considerat. Multa verba non fatiant animam, sed bona vita refrigerat mentem, & magnam præstat apud Deum fiduciam.

Thomas à  
Kemp. li. 1.  
de Imitat.  
Christi, c. 2.

## SECTIO QUARTA.

### ECCLESIASTES.

VERS. 14. Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus

mus eis quidquam addere, nec auferre, quæ  
fecit Deus vt timeatur.

15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura  
sunt, iam fuerunt: & Deus instaurat quod abiit.

## METRICA PARAPHRASIS.

**D**VM curis domitis, nec Genij immemor  
Mentem composui, mox oculis nouus  
Hic fulsit radius, quàm fatuus labor  
Symmystas sophia atterat.  
Quantum desipiunt, qui sapiunt nimis!  
Nequidquam ingenium, Momus & arbiter  
Diuinorum operum, torseris; omnia  
Stabunt lege adamantinâ,  
Quæ mundi placito Dædalus ordine  
Fundauit. Placeant, displiceant; tamen  
Qui nutu artificis singula digerit,  
Firmat quas posuit vices.  
Æternis choreis siderea faces  
Noctis peruigiles excubias agunt:  
Alternis radios Cynthia Cynthio  
Raptos cornibus alligat.  
Si Sol Hesperis auricomum caput  
Mersit gurgitibus, mox penetralibus  
Eois roseâ tollere verticem  
Gestit luce superbior.  
Nunc terra Boreas viscera congelat,  
Nunc laxant Zephyri floridulos sinus:  
Nox, lux, bruma, calor, dulcia & aspera  
Alterno subeunt gradu.  
Non semper vacuum nubibus aëra,

V

Non

*Non exempta putes æquora fluctibus,*

*Nec voto lacrymis eximios dies*

*Innubescere paciscere.*

*Sic mundus stabiles instabilis vices*

*Æternat: Volucrum præcipitans rotam*

*Sors frenos patitur: nil ita sub polis*

*Exlex, quin subeat iugum.*

*Sic Numen facili lege coercuit,*

*Quidquid Sol rapidâ circuit orbitâ:*

*Nil quidquam Lachesis, nil fuga temporum*

*Sæuo proruit impetu.*

*An collapsa putas, queis cariem dies,*

*Aut bustum cineris reliquias dedit?*

*Aut rebus faciem concipis alteram*

*Seris postgenitis fore?*

*Error sollicitum deuius occupat.*

*Venturi speculum temporis exhibet*

*Ætas præterita, & lege reciproca,*

*Quod pernix rapuit dies,*

*Ætas restituet postuma. Lubrica*

*Mundi sic stabilit magna Dei manus.*

*Hinc frustra refecit luxuriantia,*

*Et frustra adicias decus.*

*Sic fati placitum: ne artificem manum*

*Confutet Superum turba Promethei: ast*

*Æternis potius consiliis minor*

*Numen suspiciens colat.*

#### PROSA EXEGESIS.

**Q**VANTVM vanitatis insit in disquisitione diuinorum operum, nimiaque sciendi curiositate, nuper ex eo declarauit Ecclesiastes, quod qui ætatem omnem,

nem, addo & vigorem, & vitam in his studiis posue-  
 runt, hoc solum sint assecuti, vt plura se quotidie ne-  
 scire debeant fateri. Nunc alterâ non minùs euidenti  
 ratione eandem vanitatem exaggerat, quòd tametsi Homo Dei  
 opera mu-  
 tare non  
 potest.  
 nonnihil hinc inde lucis acceperint, frustra tamen hoc  
 vniuersum pulcherrimum opus cælestis illius archi-  
 tecti, ad iniquam arbitrij sui trutinam exigant; cum  
*nec addere quidquam possint, nec auferre, sed omnia opera quæ  
 fecit Deus, perseverent in perpetuum.* Firmavit hoc pa-  
 ctum suum cum genere humano præpotens ille rerum  
 omnium moderator, qui cum semel rerum tempo-  
 rumque vicissitudinem ad abolenda cataclysmo mor-  
 talium flagitia totius anni spatio perturbasset, tandem  
 reliquiis hominum reconciliatus, *Non ultra, inquit, Genes. 8,  
 percutiam omnem animam viuentem sicut feci. Cunctis diebus 21.  
 terra, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, Dei opera  
 eundem  
 seruant te-  
 norem.*  
*nox & dies non requiescent.*

Hanc rerum vicissitudinem in paruis æquè ac ma-  
 gnis ratam esse, obseruat Seneca. Quemadmodum, in-  
 quit, quartana ad horam venit, quemadmodum po-  
 dagra ad tempus respondet, quemadmodum præstò  
 est ad mensem suum partus; sic aquæ interualla ha-  
 bent, quibus se retrahant, & quibus reddant. Et quid  
 hoc mirum est, cum videas ordinem rerum & natu-  
 ram per constituta procedere? Hiems numquam aber-  
 rauit: æstas suo tempore incaluit: autumnus verisque,  
 vt solet, facta mutatio est. Tam solstitium quàm æqui-  
 noctium suos dies retulit. Sunt & sub terrâ minùs no-  
 ta nobis iura naturæ, sed tamen non minùs certa. Si  
 quid interdum naturæ videtur deperire, quia ab oculis  
 nostris subducitur; cogitemus id recondi tantisper, non  
 consumi. Nam rerum natura, vt alibi Seneca, nihil di- Seneca l. 3.  
 Natural.  
 quest. c. 16.  
 citur Seneca l. 5.  
 de Benef.  
 c. 8.

citur perdere: quia quidquid illi auellitur, ad illam redit; nec perire quidquam potest, quod quò excidat non habet, sed eòdem reuoluitur vnde discedit. Sed quidquid sit de mente Senecæ, & Stoicâ rerum omnium reuolutione; illud certè nemo repudiabit, quod hoc loco asserit Ecclesiastes, *quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit.*

Si certis legibus ab Auctore naturæ stabilitis, hîc omnia suum quemdam cursum ac tenorem seruant; quid miser homuncio ex argillâ in tam pulchrâ huius vniuersi harmoniâ dissonum ac futile iudicium suum interponit?

Horat. li. 2.  
Od. 11.

— *Quid æternis minorem*

*Consiliis animum fatigat?*

Quid inani atque irritâ cogitatione in operibus diuinis  
*Destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?*

*Non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur, id est, vt maiestate eius ex operibus cognitâ, cum reuerentiâ atque admiratione eum veneremur.*

*Stultum est  
opera Dei  
carpere aut  
velle emen-  
dare.*

At, inquit, si non reipsâ præstare, animo certè fingere possumus (liberæ enim sunt cogitationes nostræ) quædam pulchriora, aut diuturniora, aut alterius formæ, quàm à Deo condita sunt. Nec desunt, qui, iudicio suo plusculum indulgentes, hunc in modum inani cogitatione pascantur. Quid obstitit, inquit, quò minùs hic orbis à centum millibus annorum conderetur? quid verat, quò minùs homini, ad intelligendum & agendum nato, multò longior vitæ terminus prorogetur? Quid prohibet, quò minùs aurea, gemmea, splendida atque integra creata sint, quæ vilia, fœda, mutila & manca in oculos incurrunt? Quid causâ

causæ est, cur tot aduersæ fortunæ telis exposita sit vita nostra? Quare multi cum inediâ ac nuditate conflictantur, cum aliis, quod in luxum & comessationes profundant, abundè suppetat? Denique cum bonus sit Deus, cur tot mala, tot scelera, tot flagitia in regno suo permittit? Ita nonnulli tantum sibi sumunt in operibus diuinis arbitrij, vt Momum aliquem imitari videantur, quem Nocte & Somno progenitum, scribit Hesiodus deorum opera summâ libertate carpere consueuisse. Scribunt aliqui, tribus in rebus Iouem ab illo reprehensum. Primò, quòd capris inutilia indidisset cornua, vtpote reflexa, quibus se tueri non possent. Deinde, quòd eadem tauris non collocasset in armis, quòd valentiùs impeterent. Tertiò, quòd in hominis pectore fenestras non aperuisset, ne tam occulta essent animi sensa. quamquam Vitruuius huius tertij Socratem prodit auctorem.

Hesiod. in Theogonia. Vide Bisciol Tomo 2. lib. 2. c. 12.

Vitruuius lib. 3. de Architect.

Sed his Momis, aliisq̃ue horum similibus vnica Moyfis sententia os obstruit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Cui, præter infinitas aliorum Patrum sententias, illa congruunt Augustini verba: Quidquid tibi verâ ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum, tamquam bonorum omnium conditorem. Nam, vt alibi dicit, bona facere si non posset Deus, nulla eius esset potentia: si autem posset, nec faceret, magna esset inuidentia. Quia ergo omnipotens est & bonus, omnia valdè bona fecit: & vt ait D. Basiliius, fecit, vt bonus, quod vtilissimum est; vt sapiens, quod pulcherrimum est; vt potentiâ præditus, quod maximum est. Quid? inquires, annon citiùs hunc mundum, aut splendidiorum, aut maiora è nihilo corpora potuit educere? Apage stulta curiositas! cui si concesserit

Deus mundum optimo modo condidit ad rationem sibi propositam. Genes. 1. 31. Aug. lib. 3. de Lib. arbit. c. 5. Idem li. 4. de Gen. ad litter. c. 16. Basiliius Hom. 1. in Hexæm.

Vide Dida-  
cum Ruiz  
de Volunt.  
Dei disp. 9.

ferimus, aliquot millenis millibus annorum citius hunc mundum creari potuisse, restabit semper eadem quaestio, Cur non etiam citius. Cum igitur in hoc genere perfectionis, siue diuturnitatis non detur optimum, sed semper aliquid supersit quod Deus praestare possit; illud optimum esse censendum, quod rationibus diuinis, quibus adductus hoc vniuersum condidit, magis est consentaneum. Idemque iudicium est de pulchritudine ac magnitudine singulorum: quoniam in illis nihil est optimum aut perfectissimum, sed quacumque perfectione data, possibilis est maior & maior in infinitum. Quare nec Deus in istiusmodi obiectis vult id quod optimum est. Neque enim potest amor Dei efficax velle producere effectum, qui impossibilis est, cuiusmodi est in hoc rerum genere optimum ac summum. Illud igitur in huius Vniuersi fabrica singulisque partibus optimum existimemus, quod ad eorum finem appositissimum, ac rationibus aeternis maxime conforme est.

Boni non  
inuisi malis  
exercentur.

Sed altera curiosis illis diuinorum operum & consiliorum exploratoribus restat querela in iis quae vitam communem propius concernunt. Cur, inquiunt, boni in hac vita tot malis exercentur? Deferrem aliquid huic querelae, si a bonis ac sapientibus profecta esset. Sed illi amari se a Deo patris vicem potius quam matris gaudent: itaque non in sinu foueri, sed rebus asperis virtuti suae materiam suppeditari desiderant. Et si forte cum aduersa fortunâ in arenâ conclusi fuerint, se aliquo in numero apud supremum agonothetam esse gaudent; contra verò nihil illo censent infelicius, cui nihil unquam contingit aduersi. Sed haec alibi latius.

Nunc de paupertate videamus, quam non hominum

num

num magis opprobrium censent, quàm Dei, ampliffimas mundi opes non satis æquis portionibus distribuentis. Atqui ego non aliud euidentius diuinæ sapientiæ prouidentiaque argumentum inter homines extare contendo. Paupertati enim, si rectè ratiocinabimur, omnem artificum industriam, omne scientiarum lumen, omnem huius Vniuersi splendorem, omnem morum honestatem, rerumque publicarum subordinationem referemus acceptam. Tolle paupertatem, iam omnibus in summâ rerum affluentiam otio luxuque marcentibus, peribit omne dominos inter seruosque discrimen, peribit subditorum ac Magistratum inæqualitas, quiescet omnis agricultura, torpebit artificum industria, omnis denique cos acuti ingenij tolletur è medio. Nam, vt apud Stobæum Theocritus,

Paupertas  
sapienter à  
Deo intro-  
ducta.

Vide Les-  
sium de  
Numine,  
Ratione  
VIII.

*Sola est paupertas, quæ cunctas excitat artes.*

Durum enim telum necessitas, quæ, stimulante inedia, non homines tantum, sed etiam bruta animalia pænè supra vires ad extremos adigit conatus.

*Quis expediuit psittaco suum Xaipe? inquit Satyricus,*

Perfius in  
Prologo.

*Picasque docuit verba nostra conari?*

*Magister artis, ingenique largitor*

*Venter, negatas artifex sequi voces.*

Vnum restat, quod primâ fronte plus negotij facere videtur. Si Deus infinite bonus est, cur tot mala in hoc vniuerso esse permittit? Deinde, Cur non ipsos homines ita condidit, vt peccare non possent? Primam quæstionem ita resoluit D. Augustinus: Ex his omnibus consistit vniuersitatis mirabilis pulchritudo: in quâ etiam illud, quod malum dicitur, benè ordinatum, & suo loco positum, eminentiùs commendat bona.

Mala culpa non absque ratione  
Deus permittit.  
Augustinus  
Enchirid.  
c. 10. & 11.

na. Nec enim Deus omnipotens, rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, vlllo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi vsque adeò esset omnipotens & bonus, vt beneficeret etiam de malo. Et infra: Melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere. Cur autem hominem Deus non cuiusmodi condiderit vt peccare non posset, rationem reddit lib. 83. Quæstionum, q. 2. Quia secundum rationes æternas, quas in excitando hoc pulcherrimo opere spectauit, melior est homo, qui voluntate, quàm qui necessitate bonus est.

Plura fortassis obiiciat profana curiositas: sed in illius æternæ sapientiæ consiliis & infinitæ potentiæ operibus expendendis necesse est vt succumbat mortalis infirmitas. Quare quicumque sapiet, superuacua scienti cupiditatem ratione moderabitur: neque diuinorum iudiciorum iniquus arbiter, neque diuinorum operum fastidiosus erit indagator: non ignarus, quemadmodum diuinorum iudiciorum multa occulta sunt, nulla iniusta, sic diuinorum operum multa esse nobis incomperta, nulla imperfecta. Nunc ad aliud genus vanitatis nos ducat Ecclesiastes, quod non minùs quàm ea quæ dicta sunt, curiosos diuinorū operū inspectores affligat.

## SECTIO QVINTA. ECCLESIASTES.

<sup>a</sup> LXX. Et adhuc vidi. Syriac. Et amplius vidi.

<sup>b</sup> Alia versionis habent, omnis voluntatis, omnis operis, omnis facti

VERS. 16. <sup>a</sup> Vidi sub Sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem.

17. Et dixi in corde meo: Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus<sup>b</sup> omnis rei tunc erit.

METRI-